



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XV. De forma & disciplina baptizandi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

De forma & disciplina baptizandi.

CAPVT XV.

Interim verò tribus exstructis baptisteriis, ita ordinavit, ut ipse solos mares pueros in vno baptizaret; alij autem sacerdotes; feminas seorsim; & viros seorsim. Tanta quoque diligentia, tanta munditia & honestate Pater optimus Sacramenti operationem fieri edocuit, ut nihil indecorum, nihil pudendum, nihil vquam quod alicui gentilium minus placere posset, ibi ageretur. Namque dolia grandia valde terræ altius immergi præcepit, ita ut ora doliorum vsque ad genu hominis, vel minus de terra prominerent, quibus aqua impletis, facilis erat in eam descensus. Cortinas circa dolia, fixis columellis funibusque inductis, oppandi fecit, ut in modum coronæ velo vndique cuppa cingeretur; ante sacerdotem verò & comministros, qui ex vna parte adstantes Sacramenti opus explere habebant, linteum fune traiecto pependit, quatenus verecundiæ vndique prouisum foret; ne quid ineptiæ, aut turpitudinis notaretur in Sacramento; ne honestiores personæ pudoris occasione, se à baptismo subtraherent.

Cum ergò ad stadium catechismi turbæ venirent, sermone, qui talibus competeret, Episcopus eos omnes communiter alloquens, sexumque à sexu dextrorsum & sinistrorsum statuens, catechizatos oleo perunxit: deinde ad baptisteria digredi mandat. Igitur ad introitum cortinæ venientes singuli tantum cum patrinis suis intrabant, statimque vestem, qua fuit amictus is, qui baptizandus erat, & cereum; illo in aquam descendente, patrimi suscipiebant, & ante faciem suam illam tenentes expectabant, donec eam redderent de aqua exeunti. Sacerdos verò, qui ad cuppam stabat, cum audisset potius, quàm vidisset, quod aliquis esset in aqua, velo paululum amoto, trina immersione capitis illius mysterij Sacramentum perfecit, vntumque liquore chris-matis in vertice,

& alba imposita, reductoque velo de aqua iussit exire baptizatum,

h 3

ptizatum,

*Sofidus.
Modus, quem
in conferendo
baptismate
S. Ocho serua-
bat.*

*Catechests an-
te baptismum.*

*Patrimi in
baptismo.*

*Trina immer-
sio.*

*Vntio chris-
matis in ver-
tice.*

prizatum, patrinis veste, quam tenebant, illum cooperientibus atque deducantibus.

Hic modus, hæc species, hic ordo nobis fuit baptizandi viros & mulieres, & pueros adultos, qui à sacerdotibus in aquam leuari non poterant, tam in Pirissa, quàm in aliis urbibus & castellis, ubi cunq; populi copia nos moram facere coëgisset.

Tiemo. Miror oppidò, vnde tam disciplinatum, & honestam baptizandi formam acceperit; & in hieme, quæso, quomodo sustinebant?

Sefridus. Neque tunc, inquit, eius diligentia, quod temporis commodum esset, inuenire neglexit: nempe in *stabis* calefactis, & in aqua calida, eodem nitore, atque verecundiæ obseruatione, in fossis doliis: & cortinis adhibitis, thure quoque, & aliis odoriferis speciebus cuncta respergentibus, veneranda Baptismi confecit Sacramenta. Nec mirum, te ista mirari. Etenim qui ea vidimus, mirabamur & ipsi tam hæc, quàm alia complura morum eius, & virtutum insignia. Ipse namque in omni actione sua, quod & paganis laude dignum videbatur, quandam à Spiritu sancto, (hoc enim potissimum credo) cuiusdam singularis munditiæ, atque, ut ita dixerim, elegantis & urbanæ disciplinæ prærogatiuam habebat: ita ut nihil vnquam indecens, aut ineptum, inhonestumue quid in cibo, aut potu, sermone, gestu vel habitu admitteret: sed in omni officio exterioris hominis, quæ nam esset compositio interioris ostendebat bonitate, disciplina & prudentiæ cautela conspicuus. Sed redeamus ad rem.

Modus baptizandi in hyeme.

Studium honestatis in S. Othone.



Quan-